MERCURIUS PROLOGUS.

Miramini fortè, Spectatores, qui sim? Nolite mirari, qui alatum me in capite, alatum in pedibus, caduceoq́ alato instructum videtis. Sum, Sum ille ipse, qui quondam in emundis vendundisq́ mercimonijs lætos lucris afficere, inq́ rebus omnibus adjuvare Mercatores, Mercatorum DEUS, à Negotiatoribus, credebar: Sum, qui quondam, si res, rationesq́ suas peregreq́ et domi benè expedire illi volebant, ut bono ipsos, atq́ amplo auctarem perpetuò lucro, invocabar: Sum, Sum, quem Lysei efficere arbitrabantur, ut nunquam mala aut tristia, sed semper bona et optata audirent nuntia, quemq́ ea afferre, eaq́ nuntiare sibi persuadebant, quæ maximè in rem essent communem. Nam illi quidem id jam sciebant, concessum et datum mihi esse ab Diis aliis, nuntijs ut præessem. Igitur per me fabulis suis faciebant silentium, æqui et justi ut adessent omnes arbitri, jubentes. Nunc undè venio, cujus jussu venio, et quamobrem venerim, dicam, simulq́ ipse eloquar nomen meum.

Nomen est Mercurii mihi, qui à mercibus ita dictus, quod mercibus præsiderem, atq́ ab his præcipuè colerer. Græci Hermem me vocant, quod Deorum nuncius et interpres sim, à quibus et Λόγιος ob eloquendi facultatem, et νόμιος quasi legum Antistes, inter alia cognomina quamplurima cognominor.

Venio autem ad vos non in novum ornatus modum, ut quondam Amphitruonis Plautinæ Prologus, cum servili schemâ processoram, sed familiari indutus habitu è Campis Elysiis, quos D. Maro Locos vocat et amoena vireta

Fortunatorum nemorum, sedesq́ beatas.
Largior hic campos æther, et lumine vestit
Purpureo, Solemq́ suum, sua sidera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palæstris:
Contendunt ludo, et fulva luctantur arena:
Pars pedibus plaudunt choreas, et carmina dicunt.
Nec non Threicius longâ cum veste Sacerdos,
Obloquitur numeris septem discrimina vocum,
Iamq́ eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.
Hic genus antiquum, Teucri pulcerrima proles,
Magnanimi Heroës, nati melioribus annis,
Ilusq́, Assaracusq́, et Trojæ Dardanus Autor.
Arma procul, currusq́ virûm mirantur inanes.
Stant terrâ defixæ hastæ, passimq́ soluti
Per campos pascuntur equi: quæ gratia currum
Armorumq́ fuit vivis: quæ cura nitenteis
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.
Conspicit, ecce alios dextrâ, lævaq́ per herbam
Vescentes, lætumq́ choro Pæana canentes,
Inter odoratum lauri nemus, undè superne
Plurimus Eridani per silvam volvitur amnis.
Hic manus ob patriam pugnando vulnera passi,
Quiq́ Sacerdotes casti, dum vita manebat,
Quiq́ pii vates, et Phoebo digna locuti,
Inventas aut qui vitam excoluêre per arteis,
Quiq́ sui memores alios fecêre merendo.
Omnibus his niveâ cinguntur tempora vitta.